



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm XXIX. Consuluit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

Not. vnic. Iudex à quo, non est obligatus vt definiat appellanti terminum prosequendæ appellationis, sed potest si malit in dispositione juris communis causam relinquare secundum ea, quæ dixi in *c. 4. h. tit.* Ita docet *Hostiens. Abbas. Alex. & alij*, & sumitur ex hoc *cap. verb. fas est*; quod facultatem significat, non necessitatem & obligationem, quandoquidem non quidquid Iudicis potestati permittitur, id subiicitur juris necessitati. *l. 44. ff. de jud.* si tamen pars litigans temerè & frustratoriè appellare videatur, tunc malè ageret Iudex, si terminum non definiret. *arg. c. seq.* nam aliqui appellare possunt solùm, vt lites & mandata Superiorum per annum vel biennium protrahant, talibus autem hominum malitiis indulgendum non est. *cap. Plurimque. 17. de prescript.*

CAPITVLVM XXVIII.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

G. Ecclesiæ Salabrienfis Canonicus cum ab Episcopo suo ad residentiam admonitus fuisset, in appellationem prorupit, hoc cognito Alex. III. mandare idem Episcopo, quandoquidem suspicio est, Canonice frustratoriæ dilationis causâ appellasse, vt eum iubeat vel residere, vel intra terminum ipsi præfinitum iter Romanum versus arripere, tunc verò Vicarium ei constituat in Ecclesia, cui de beneficiorum redditibus congruam sustentationem designet, quod si dictus Ge. alterum horum adimplere neglexerit, præbendâ suâ eum priuet, & alteri personæ idoneæ conferat.

Not. I. Si suspicio sit, quod appellatio fiat litis tantum protrahendæ causæ terminus à Iudice definiendus est appellanti, intra quem causam appellationis prosequi debeat, dixi de hoc in præcedente cap.

Not. II. Si beneficiatus ex iusta causa absit, Vicarius interim congrua ei portione assignata constitui debet, si tale sit benefici-

cium, vt residentiam postulet, alioquin beneficiarius priuari posset. de hac re dicitur in *cap. Extirpanda. 30. S. si verò, de præbend. & in tit. de Cler. non residentibus.*

CAPITVLVM XXIX.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Episcopus Ordinarius prohibere voluit, ne Iudæi Christianos vt mancipia tenerent, sed quia Rex Galliarum pro Iudæis se opposuit, & appellare voluit, quæsitum est, num tali appellationi sit deferendum? Resp. Alex. III. propter eiusmodi appellationem à Sacrorum Canonum institutis discedendum non esse.

Simile huic est, quod idem *Alexand. in Cone. Lat. p. 20. c. 4* scripsit in hæc verba: Cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant, præcipimus quatenus sublato appellatiouis subsidio anathematis interminatione iubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur.

SUMMARIUM.

1. Appellatio, ne id fiat, quod expressa lege, aut Canone fieri præcipitur.
2. Ecclesiastico iudici competit indirecta iurisdictio erga Iudæos aliòsque infideles, ne quid ab iis fiat, quod Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit.

Not. I. Non est recipienda appellatio, si ne id fiat, quod aperta lege aut Canone fieri præcipitur, cum sit friuola & irratiōnabilis appellatio, atque inobediendiæ præsidium foret, si ei deferretur.

Not. II. Ecclesiasticus Iudex iurisdictionem exercet erga Iudæos aliòsque infideles indirectè, ne quid ab iis fiat, quod Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit, quæ de re dicitur in *lib. 5. tit. de Iudæis,*

& docui *l. 2. rr. 1. cap. ult. in fine.*

¶ (†) 50

CAPL.